Claudii Ptolemaei ... Almagestvm Sev Magnae Constrvctionis Mathematicae Opvs

Ptolemaeus, Claudius

Venetiis, 1528 [erschienen 1529]

Incipit liber XII [...]

urn:nbn:de:bsz:31-248650

INCIPIT LIBER XII MAGNAE COMPOSITIONIS PTOLEMAEI.

¶ De his quæ premittuntur ad regressus planetarum demonstrandos. Cap. I.

Quæ præmittũtur ad regressus planetarum demonstrandos.

IS DEMONSTRATIS sequitur ut regressus etiam qui singulis quinq; planetarum accidunt/tam minimos q̃ maximos consideremus/ac magnitudines ipsorum ab expositis suppositionibus(q̃ maxime fieri potest)congruos ostendamus. Iis quæ per obseruationes capiuntur ad huius rei ergo intelligentiam & cæteri Mathematici & Appollonius pergensis demonstraret/in una æq̃litate solari q̃ siue supposito epicyclo accidat cum epicyclus in circulo qui concentrico zodiaco sit motu lõgitudinis ad successionem signorum progrediatur/& stella in epicyclo ad centrum ipsius motu inæqualitatis ad successionem maximæ longitudinis:producaturq; a uisu nostro linea sic epicyclum secans ut partis eius(quæ intra epicyclum est)medietas ad reliquam quæ est a uisu nostro usq; ad sectionem quæ fit in minima epicycli longitudine proportionem habeat/eam quã habet epicycli uelocitas ad uelocitatem stellæ/punctum quod ab huiusmodi linea in circũferẽtia epicycli fit/progressus & regressus ita diuidit/ut cum stella in ipso sit/stare uideatur. Siue per suppositionem excentricitatis inæqualitatis solis accidat/quæ suppositio in reliquis etiam tribus stellis solummodo quæ per omnem a sole distantiam distant procedere potest/si centrum excentrici circa centrum zodiaci ad successionem signorum æqualiter soli moueatur/& stella in excẽtrico circa centrum ipsius ad præcedentia signorum inæqualitatis motui æqualiter/producaturq; in excentrico circo huiusmodi a zodiaci centro hoc est a uisu nostro linea ut medietas totius lineæ ad minorem partem earum partium quæ a uisu fiunt eam proportionem habeat/quã habet uelocitas excentrici ad stellæ uelocitatem: quando in illo puncto fuerit stella ubi linea minimæ longitudinis arcum secat:tunc stanti phantasiam faciet. Sed nos & breuius & facilius propositum demonstrabimus. Vtemur autem communi permixtaq; de utrisq; suppositionibus demonstratione/ut etiam hic similitudo & conuenientia utrarumq; rationum confirmetur. ¶ Sit ergo epicyclus.A.B.C.D.cuius centrum.E.& diameter.A.E.G.hæc usq; ad.F.centrum zodiaci hoc est ad uisum nostrum producatur/interceptisq; ex utraq; parte.G.minimæ longitudinis puncti æq̃libus arcubus.G.I.&.G.T.protrahantur a puncto.F.per.I.&.T.puncta.F.I.B.&.F.T.D.lineæ & coniungantur.D.I.&.B.T.lineæ secantes seipsas in puncto.C.quod uidelicet in.A.G.diametro erit.Dico igitur primum q̃.A.F.linea sic se habet ad lineam.F.G.sicut.A.C.linea ad lineam.C.G.cõiungãtur enim.A.D.&.D.C.lineæ & ducatur per punctum.G.linea.L.G.M.æquidistans lineæ.A.D.hæc quoniam.A.D.G.angulus rectus est/perpendicularis erit ad lineam.D.G.quoniam igitur angulus G.D.I.æqualis est angulo.G.D.T.erit etiam linea.G.L.æqualis lineæ.G.M.quare A.D.linea eandem habet ad utrãq; proportionẽ.Sed sic se habet.A.D.linea ad lineam.G.M.sicut se habet &.A.F.ad.F.G.& sicut se habet.A.D.ad.L.G.sic se habet.A.C.ad.C.G.Sicut ergo.A.F.ad.F.G.sic.A.C.ad.C.G.¶ Si q̃ circulũ.A.B.G.D.in suppositione excentricitatis/ipsum excentricũ esse intellexerimus erit.C.punctum/zodiaci centrum/& diuiditur ab eo diameter.A.G.in eandem proportionem suppositionis ꝓm epicyclum/Demonstrauimus enim eam proportionem habere.A.C.maximam in excentrico distantiam ad.C.G.minimam quã habet in epicyclo.A.F.maxima distantia ad.F.G.minimam.Dico etiam q̃ proportio.D.F.lineæ ad lineã.F.

Appollonius pergeus Mathematicus.





T.eſt proportio.B.C.lineæ ad.C.T.Coniũgantur enim in ſimili deſcriptione linea B.N.D.hæc perpendiculariter ad diametrum.A.G.& a puncto.T. ducatur æquidiſtans ei linea.T.X.I.quoniam igitur.B.N. linea æqualis eſt lineæ.N.D. earũdem utraq; ipſarum ad lineam.X.T.habebit proportionẽ.Sed ſicut ſe habet.N.D.ad.X.T.ſic etiam.D.F.ad.F.T.& ſicut.B.N.ad.X.T.ſic.B.C.ad.C.T.quare ſicut.D.F.ad F.T.ſic.B.T.ad.T.C.& coniunctim ergo ſicut.D.F.ad.F.T.ſic.B.T.ad.T.C.& diſiunctim perpendicularibus deductis ſicut.O.F.ad.F.T.ſic.P.T.ad.T.C.& etenim diſiunctim ſicut.O.T.ad.T.F.ſic.P.C.ad.C.T.Si ergo in epicycli ſuppoſitione ita D.F.protrahatur ut.O.T.linea eam habeat proportionem ad lineam.T.F.quã epicycli uelocitas ad ſtellæ uelocitatẽ:eandẽ habebit etiã proportionem in ſuppoſitione excentricitatis.P.C.linea ad lineam.C.T.Cauſa uero eſt ne hic quoq; hac proportione diſiuncta hoc eſt proportiõe.P.C. lineæ ad lineam.C.T.ad ſtationes utamur. Sed proportione coniuncta ea uidelicet quam habet.P.T. linea ad lineam.C.T.q̃ uelocitas epicycli eam habet ad uelocitatem ſtellæ proportionem:quã ſolus longitudinis motus ad ſolum inæqualitatis motum.Velocitas autem excentrici eam habet ad uelocitatem ſtellæ proportionem:quã habet medius motus ſolis hoc eſt longitudinis & inæqualitatis ſtellæ motus ſimul:ad motum inæqualitatis ſolum ſicut exempli gratia.In ſtella Martis proportio uelocitatis epicycli ad ſtellæ uelocitatem eſt proportio.42.proxime ad.37.proportio enim motus longitudinis ad motum inæqualitatis hæc proxime nobis demonſtrata eſt. Iccirco etiam linea.O.T.hanc habet proportionem ad lineã.T.F.proportio uero uelocitatis excentrici ad uelocitatẽ ſtellæ illam quæ eſt utrorũq; ſimul.79.ad.37.hoc eſt coſiunctim proportionem.P.T.ad.T.C.Proportio enim per diſiunctionẽ uidelicet proportio.P.C.ad.C.T.eadẽ erat proportioni lineæ.O.T.ad lineã.T.F.hoc eſt eius quæ inueniũtur in.42.ad.37. Sed hæc nobis ad hoc uſq; præmiſſa ſint.Cũ autẽ reliquum ſit q̃ linearum captarũ quæ in huiuſmodi proportione diuiduntur in utraq; ſuppoſitione.I.&.T. puncta ſtãti phantaſiã contineant:& arcus quidem.I.G.T. regreſſuum ſit. Reliquus uero prægreſſuũ huiuſmodi ad hoc præmittit Appollonius theorema. ¶ Sit triãgulus ĩquit.A.B.C.cuius latus.B.C.maius ſit q̃.A.C.& intercipiatur.D.linea.C.B.linea.C.D.non minor quã.A.C.dico inquit.C.D.lineã maiorem proportionem habere ad B.D.q̃ angulũ.A.B.C.ad angulũ.B.C.A.hoc ita demõſtrat. Compleatur(inquit) parallelogramũ.A.D.C.E.ptractæq; lineæ.B.A.&.C.E. concurrãt in pũcto.F. Quoniam igitur.A.E.linea non eſt minor q̃.A.C.circulus qui centro.A.& ſpatio.A.E.deſcribitur aut per.C.punctum aut ſuper.C.pertranſibit deſcribatur ergo per.C.circulus.I.E.C.& quoniã triãgulus.A.E.F.maior eſt ſectione.A.E.I.Triangulus uero.A E.C.minor eſt ſectore.A.E.C.habebit.A.E.F.Triangulus maiorem proportionẽ ad triangulum.A.E.C.q̃ ſector.A.E.I.ad ſectorem.A.E.C.Sed ſicut ſe habet ſector.A.E.I.ad ſectorẽ.A.E.C.ſic ſe habet angulus.E.A.F.ad angulum.E.A.C.& ſicut triangulus.A.E.F.ad triangulum.A.E.C.ſic.F.E.baſis ad baſim.E.C.maiorem ergo habet proportionẽ linea.F.E.ad lineam.E.C.q̃ angulus.F.A.E.ad angulum.E.A.C. ſed ſicut linea.F.E.ad lineã.E.C.ſic.C.D.ad.D.B.Eſt autem angulus.F.A.E.æqualis angulo.A.B.C.& angulus.E.A.C.angulo.A.C.D.habebit ergo.C.D.linea maiorem proportionem ad.D.B.q̃ angulus.A.B.C.ad angulum.A.C.B.Eſt autẽ perſpicuũ maiorẽ multo futurã proportionem ſi.C.D.linea hoc eſt.A.E.non ſupponatur æqualis lineæ.A.C.ſed maior. ¶ Hoc præmiſſo.Sit.A.B.C.D.epicyclus cuius cẽtrũ E.& diameter.A.E.C.quæ producatur uſq; ad.F.uiſus noſtri punctum ut aperte patet q̃.E.C.ſemidiameter maiorẽ ad.C.F.lineam habeat proportionẽ q̃ epicycli uelocitas ad ſtellæ uelocitatem.Poſſibile igitur eſt ſic ducere lineam.F.I.B.ut medietas lineæ.B.I.eam proportionẽ habeat ad lineã.I.F.quã habet uelocitas epicycli ad uelocitatẽ ſtellæ/& ſi per ea quæ iam demõſtrata interceperimus.A.D.arcum æqualem arcui.A.B.& cõiunxerimus.D.T.I.lineã/erit profecto in ſuppoſitione excentricitatis uiſus noſter in.T.puncto & medietas.T.I.lineæ ſic ſe habebit ad.B.I.lineam ſicut uelocitas excentrici ad ſtellæ uelocitatẽ.Dico igitur q̃ quãdocũq; in utraq; ſuppoſitione ſtella erit in puncto.I.ſtanti/phantaſiam faciet/& quantũcũq; arcum ex utraq; parte.I.pũcti cœperimus arcus(qui uerſus maximã longitudinẽ intercipiet)

Proportio 42 ad 37
79 ad 37

Apollonii Theorema



progressum/q uero uersus minimã:regressum stellæ cõtinebit/Intercipiatur primo uersus maximã ut forte cõtigerit arcus.C.I.& ꝓtrahãt.F.C.L.&.C.T.M.lineæ & cõiũgãt.B.C.&.D.C.&.E.C.&.E.I.lineæ qm igit.B.I.lat9 triãguli.B.C.F.maius ẽ q̃ latus.B.C.maiorẽ.B.I.linea ad.I.F.habebit ꝓportionẽ quã ãgulus.I.F.C.ad angulũ.I.B.C.quare medietas ẽt lineæ.B.I.ad lineã.I.F.maiorẽ habet ꝓportionẽ q̃ angulus ad angulũ duplũ anguli.C.B.I.hoc est ad angulũ.C.E.I.Est aũt ꝓportio medietatis lineæ.B.I.ad lineã.I.F.ꝓportio uelocitatis epicycli ad stellæ uelocitatẽ/quare angulus q eã habet ꝓportionẽ ad angulũ.C.E.I.quã uelocitas epicycli ad uelocitatẽ stellæ maior est angulo.I.F.C.Sit igit.I.F.N.qm igit in tẽpore in quo stella.C.I.arcũ epicycli trãsit in eo tẽpore cẽtrũ epicycli ꝓtrãsit ad cõtrariũ æqualẽ arcũ distantiæ quæ est ab.F.I.ad.F.N.patet quia in eo tẽpore ꝑ minorẽ angulum ad uisum nostrũ.C.I.epicycli arcus ad præcedẽtia stellã traduxit hoc est per angulũ.I.F.C.angulo ꝑ quẽ ipse epicyclus motu suo ad successionẽ trãstulit.hoc ẽ angulo.I.F.N.& sic stella ad successionẽ facta est per angulũ.C.F.N.similiter si hæc in excẽtrico ratiocinemur.qm.B.linea maiorẽ proportionẽ habeat ad lineam.I.F.q̃ angulus.I.F.C.ad angulũ.C.B.I.& cõiunctim ergo linea.B.F.maiorẽ habebit proportionẽ ad lineam F.I.q̃ angulus.B.C.L.ad angulũ.I.B.C.sed sicut.B.F.ad.F.I.sic.D.T.ad.T.I.Est aũt ẽt.B.E.L.angulus æqualis angulo.D.C.M.& ãgulus.I.B.C.angulo.I.D.C.maiorẽ ergo ẽt.D.T.habebit proportionẽ ad.T.I.q̃ angulus.D.C.M.ad angulũ.I.D.C.quare cõiunctim quoq;.D.I.linea maiorem habebit proportionẽ ad.I.T.q̃ angulus.I.T.C.ad angulũ.I.D.C.& disiũctim ergo medietas lineæ.D.I.Maiorẽ habebit proportionẽ ad lineã.I.T.q̃ angulus.I.T.C.ad angulũ duplũ anguli.I.D.C.hoc est ad angulũ.I.E.C.Est aũt proportio mẽdietatis lineæ.D.I.ad.T.I.uelocitas excentrici ad stellæ uelocitatẽ.Minorẽ igitur habebit proportionẽ angulus.I.T.C.ad angulũ.I.E.C.q̃ excentrici uelocitatis ad stellæ uelocitatẽ.Angulus ergo qui eandem habet proportionem ad angulum.I.E.C.quã habet uelocitas excentrici ad uelocitatẽ stellæ.Maior est angulo.I.T.C.¶ Sit rursum angulus.I.T.N.quoniã igitur in eodẽ tẽpore stella quidẽ per.C.I.arcũ ad præcedentia mota fecit angulũ.C.E.I.& a motu excentrici ad successionẽ translata est per angulum.I.T.N.maiorẽ angulo.C.T.I.ꝑspicuum autẽ est q̃ etiam sit ad successionẽ per angulum.C.T.N.pertransisse stella uidebitur:facile aũt intellectu est q̃ per eadẽ contrarium quoq; demõstrabitur: si in eadem descriptione medietatẽ quidẽ.L.C.lineæ ad lineam.C.F.eam habere ꝓportionem supposuerimus quã habet epicycli uelocitas ad stellæ uelocitatẽ/ut medietas etiam lineæ.N.C.sic se habeat ad lineam.T.C.sicut uelocitas excentrici ad stellæ uelocitatem.Arcum uero.C.I.uersus minimam longitudinem ab.L.F.linea interceptum intelleximus nam si coniuncta fuerit linea.L.I.fecerit q̃ triangulum.L.F.I.in quo intercepta sit.F.C.linea maior quã.F.I.habebit.L.C.minorem proportionem ad.C.F.q̃ angulus.I.F.C.ad angulum.I.L.C.Quare medietas etiam lineæ.L.C.ad lineam.C.F.minorem habet proportionem q̃ angulus.I.F.C.ad angulum duplũ anguli.I.L.C.hoc est ad angulum.C.E.I.conuersim quam antea demonstratum est/& sic per eandem colligitur cõtrarium q̃ uidelicet angulus.C.E.I.ad angulum quidem.I.F.C.minorem habet proportionem q̃ uelocitas stellæ ad uelocitatẽ epicycli/ad angulum uero.I.T.C.minorẽ q̃/uelocitas stellæ ad excentrici uelocitatem/quare cũ angulus.C.E.I.qui eãdẽ proportionẽ habeat maior fiat regrediendi quoq; motus motu progrediẽdi maior fiet/perspicuũ etiam est q̃ in quibuscũq; lõgitudinibus nõ habet linea.E.C.Maiorẽ proportionẽ ad lineã.C.F.q̃ uelocitas epicycli habeat ad stellæ uelocitatem erit in ipsis possibile aliam lineam in proportione æquali perducere stellaq; nec stare/neq; regredi unq̃ uidebitur/nã quoniã in triangulo.E.C.F.intercepta est linea.E.C.non minor quã linea.E.C.minorem/angulus.C.F.C.habebit proportionem ad angulum.C.E.C.q̃.E.C.linea ad lineam.C.F.Proportio autem ipsius.E.C.ad ipsam.C.F.non est maior q̃ proportio uelocitatis epicycli ad stellæ uelocitatem.Minorem igitur etiam angulus.C.F.C.habebit proportionem ad angulum.C.E.C.quã uelocitas epicycli ad stellæ uelocitatem/quoniã igitur demonstratum est/nobis ubicũq; id accidit stellam progredi nec epicycli nec excentrici ullum inuenimus arcum ubi stella regredi uideatur.







QVM HAEC ita se habeant reliquum est ut per singulos Planetas cõsequẽter ad demonstratas suppositiones regressuum computationes faciamus initiũ a Saturno facientes hoc modo. ¶ Sit circulus.A.B.q centrum epicycli deferat/cuius diameter.A.G.B.in qua cẽtrum zodiaci hoc est uisus noster supponatur esse in puncto.G.descriptoq; circa centrum.A. epicyclo D.E.F.I.perducatur sic linea.G.F.E.ut cum ad eam deducatur perpendicularis. A. T.medietas lineæ.E.F.hoc est linea.T.F.proportionem habeat ad lineam.F.G.quã habet uelocitas epicycli ad stellæ uelocitatem. Supponaturq; primum situm epicycli esse in media longitudine ut periodici lõgitudinis & inæqualitatis motus æquales proxime motibus fiant illis qui ad centrum zodiaci considerantur.Quoniã igitur in stella Saturni qualium est mediæ longitudinis linea.G.A.60.talium.A.D.semidiameter epicycli demonstrata est.6.30.Ita ut tota.D.G.fiat.66.30.& reliqua.G I.53.30.earũdem. Sitq; rectangulum quod sub ipsis.D.G.&.G.I. continetur.3557.45.quod est æquale rectangulo sub.E.G.&.G.F.lineis contento/habebimus etiam ipsum rectangulum quod fit a lineis.E.G.&.G.F.3557.45.earũdem.

¶ Rursus quoniam consequenter ad medios motus qualis unius est uelocitas epicycli hoc est linea.T.F.talium est stellæ uelocitas hoc est linea.F.G.28.25.46.proximæ/ut tota etiã.E.G.linea.30.25.46.colligatur.Rectangulum autem quod sub.E. G.&.G.F.lineis cõtinet.865.5.32.earũdẽ.Si per.865.5.32.ptiemur.3557.45.& nũeri ex partitiõe facti.4.6.45.radicem.2.1.40.seorsum i.T.F.hoc est in unum/& in.F.G. hoc est in.28.25.46.multiplicauerimus/habebimus & est.T.F.talium.2.1.40.qualium est rectangulum sub.T.G.&.G.F.lineis contentum.3557.45.& lineam.F.G.57. 38.55.Quoniam igitur si.A.F.lineam coniunxerimus talium est.F.T.2.1.40.qualium.A.F.6.30.qualium uero.120.talium.37.26.9.erit profecto arcus quoq; lineæ.T F.talium.36.21.15.Qualium est circulus qui rectangulo. A.F.T. circũscribitur.360. Angulus autem.F.A.T.talium.36.21.15.qualium duo recti sunt.360.qualium uero quatuor recti sunt.360.talium.18.10.38.proxime. ¶ Rursus quoniam.G.F.T.tota talium colligitur.59.40.35.qualium est.G.I.A.Quæ rectum angulũ subtendit.60. qualium uero.120.talium.119.21.10.erit etiam arcus lineæ.G.T.taliũ.168.5.39.qualium est circulus qui rectangulo.A.G.T.circũscribitur.360. Angulus autem.G.A.T. talium.168.5.39.qualium duo recti sũt.360.qualium uero quatuor recti sunt.360. talium.84.2.50.proxime.Iccirco habebimus angulum quoq;.A. G.T.reliquorum ad unum rectum.5.57.10.Angulum autem.F.A.I.remoto angulo.F. A. T. habebimus.65.52.12.Quoniam igitur in prima quidem statione per.G.F. lineam stella uidetur.In oppositione uero solis per lineam.G.I.patet quia si centrum epicycli non moueretur ad successionem tunc.65.52.12.grad.ipsius arcus.F.I.continerent gradus anguli.A.G.F.5.57.10.regressionis.Verum quoniam secundũ expositam proportionem uelocitatis epicycli ad uelocitatem stellæ gradibus inæqualitatis iam dictis.65. 52.12.congruunt longitudinis gradus.2.19.proxime/ habebimus regressum quidẽ ab altera statione ad solis oppositionem reliquorum graduum.3.38.10.& dierum.69. In quibus proxime.2.19.periodicæ lõgitudinis gradibus stella mouetur.Totum uero regressum graduum.7.16.20.& dierum.138. ¶ Sed magnitudines etiam quæ in maxima longitudine fiunt per eadem consideremus.Hoc est quoniam media inter stationes ad solem oppositio in ipso maximæ longitudinis excentrici puncto centrum epicycli sistit.Stationem uero utraq; in distantia propinqua demonstratis(fm mediam rationem)gradibus.2.19.ab oppositione hoc est a maxima distantia excentrici secũdum æquatam longitudinem/in quo situ.A.G.istius longitudinis linea in differens a maxima longitugitudine per Theoremata iam demonstrata inuenitur. Additio autem subtractioue quæ uni longitudinis gradui congruit.6.30. sexagesimarum proxime reperitur etiam sic æquata longitudo ad inæqualitatem æquatam hoc est apparens tunc epicycli uelocisas ad apparentem stellæ uelocitatem eam habet proportionẽ quã. 0.53.30.ad.28.32.16. ¶ Hac igitur eadẽ figura descripta qualium est.D.A.semidiameter epicycli.6.30.talium erit.G.A.in differens a maxima lon



gitudine.63.25.Iccirco tota.D.G.69.55.colligitur &reliqua.C.I.56.55.& quod ab ipsis fit hoc est quod sub.E.G.&.G.F.rectãgulum continetur est.3979.25.25. Est autem etiam qualium.F.T.linea uelocitatis epicycli supponitur.0.53.30.taliũ G.F.uelocitas stellæ.28.32.16.& tota.E.G.linea.30.19.12.rectangulum autem quod continetur sub.E.G.&.G.F.lineis taliũ.865.17.50. ℭ Si ergo rursũ.3979. 25.25.per.865.17.50.diuiserimus & facti ex partitione numeri.4.35.56.radicẽ capiemus hoc est.2.8.40.eã quoq; seorsũ multiplicabimus hoc est in.0.53.30.& lineam.F.G.similiter:hoc est in.28.32.16.habebimus lineam quidem.T.F.talium 1.54.44.qualium.A.F.linea est.6.30.&.A.G.63.25.lineam uero.G.F.61.11.52. earũdẽ.Totam autem.G.T.63.6.36.quare qualium est.A.F.quæ rectum angulum subtendit.120.taliũ erit.T.F.35.18.9.& qualiũ.G.A.quæ rectum subtendit.120. talium.G.T.linea.119.25.11.iccirco arcus etiam lineæ.T.F.talium erit.34.13.4. qualium est circulus qui rectãgulo.A.F.T.circũscribitur.360.Arcus autem lineæ.G. T.talium.168.43.38.qualiũ est circulus qui rectangulo.A.G.T.circũscribitur.360 Qualium ergo recti duo sunt.360.talium angulus quidem.F.A.T.erit.34.13.4. Angulus uero.G.A.T.168.43.38.Qualium autem quatuor recti sunt.360.taliũ angulus.F.A.T.17.6.32.& angulus.G.A.T.84.21.49. Et sic reliquũ quidem. A. G.T.angulum qui est ab altera stationum ad oppositionẽ/si epicyclus non mouere tur/graduum haberemus.5.38.11.Reliquum uero.F.A.I.angulum qui est apparẽ tis in eadem longitudine motus in epicyclo graduum.67.15.17.quibus/quoniam ſm proportiones uelocitatum in maxima longitudine gradus æquatæ lõgitudinis congruũt.2.6.6.habebimus medietatem totius regressus reliquorum graduum.3. 32.5.& dierum.70.20.in quibus proxime stella mouetur periodicos gradus.2.21 25.cõgruentes expositis æquatæ lõgitudinis gradibus.2.6.6.Totum aũt regressum graduũ.7.4.10.& dierum.140.40. ℭ Sed minimæ quoq; longitudinis magnitu/ dines modo per similia in eadẽ descriptione consideremus quando media inter sta tiones oppositio/in ipsa minima excentrici lõgitudine accidit.Et utraq; stationum in exposita(ſm motum longitudinis)distantia ab oppositione hoc est a minima ex centrici longitudine/in quo situ.A.C.quidem linea longitudinis istius indifferens similiter a minima reperitur.Additio autem subtractioue quæ gradui congruit uni sexagesimarum.7.20.proxime/ Quare hic etiam apparens epicycli uelocitas eã ha/ bet proportionem ad apparentem stellæ uelocitatem quã.1.7.20.ad.28.18.26. Et iccirco qualium est.T.F.linea.1.7.20.talium.G.F.quidẽ colligitur.28.18.26. Tota uero.E.G.talium.30.33.6.Rectangulum autem quod sub.E.G.&.G.F.line is continetur.864.49.58.& qm̃ qualium/est.D.A.simidiameter epicycli.6.30.ta/ lium ẽt est.A.G.quæ indifferens a minima lõgitudine.56.35.& propterea tota.D. G.63.5.earũdem colligatur &.G.I.reliqua.50.& sexagesimarũ.5.Rectãgulumq; sub ipsis hoc est sub.E.G.&.G.F.contentum.3159.25.25.si partiemur similiter 3159.25.25.per.864.49.58.& facti ex partitione numeri.3.39.12.radicem quæ est.1.54.49.seorsum multiplicabimus tum in lineam.T.F.hoc est.in.1.7.20.tum in lineam.F.G.hoc est in.28.18.26.habebimus lineam quidem.T.F.talium.2.8. 43.qualium est.A.F.semidiameter epicycli.6.30.&.A.G.longitudinis istius linea 56.35.lineã uero.G.F.54.6.22.earũdẽ.Totam autem.G.T.56.15.5.Qualiũ igi tur est.A.F.quæ rectum angulum subtendit.120.talium.T.F.erit.39.36.18.quali um uero.G.A.quæ rectum similiter subtendit.120.talium.G.T.119.17.46.Iccir co arcus etiam lineæ.F.T.talium erit.38.32.34.qualium est circulus qui.A.G.T.re ctangulo circũscribitur.360.quare qualiũ duo recti sunt.360.talium.F.A.T.quoq; angulus erit.38.32.34.angulus uero.G.A.T.167.34.54. Qualium autem quatuor recti sunt.360.talium angulus.F.A.T.19.16.17.& angulus.G.A.T.83.47.27.Et re/ liquum igitur.A.G.T.angulum ab altera stationum ad oppositionem regressus pe/ nes uelocitatem stellæ partium habebimus.6.12.33.reliquum autem. F.A.I.angu/ lum apparentis in epicyclo in eadem longitudine motus partium.64.31.10.quibus quoniam ſm proportionem uelocitatum quæ in minima longitudine fiunt.2.33. 28.gradus æquatæ longitudinis congruunt medietatem quidẽ totius regressus gra/

Dies	H
70	8
140	16

G	M	2ª
1	7	20

duum habebimus.3.39.5.& dierum.68.in quibus proxime stella medio motu mo/uetur congruentes expositis æquatæ longitudinis gradibus.2.33.28.gradus periodi/cos.2.16.45.totum uero regressum.7.18.10.& dierum.136.

De ♃ Retropedationibus

¶ Demonstratio regressuum Iouis. ♃

IN STELLA uero Iouis(ſm computationes/quæ in media longi/tudine fiunt)proportio quidẽ.T.F.ad.G.F.ea colligitur quæ eſt unius ad.10.51.29.Proportio aũt.E.G.ad.F.G.12.51.29.ad.10.51.29.rectangulũ uero quod ſub ipſis continetur eſt.139.37.39.¶ Rurſus ꝓportio lineæ G.A.ad.A.I.eſt.60.ad.11.30.& proportio.G.D.ad.G.I.eſt.71.30.ad.48.30. Et rectã gulum ſub ipſis contentum.3467.45.Facti autem ex partitione numeri.24.59.17. radix.4.59.1.multiplicata in præpoſitam lineæ.T.F.ad.F.G.proportionem/facit li/neam quidem.T.F.ad expoſitas.G.A.&.A.F.magnitudines.4.59.1.Lineã uero.G. F.54.6.44.earũdem.Totam autem.G.T.59.5.45.Et iccirco ad proportionem etiã partium.120.utriuſq;.A.F.&.A.G.linearum quæ rectum angulum ſubtendit.T.F. quidem linea erit.52.0.10.G.T.uero.118.11.4.& arcus ſuæ lineæ quidem.F.T.gradu um.51.21.41.Lineæ autem.G.T.160.4.55.conſequenter autem angulus etiam.F.A. T.talium.25.40.50.proxime colligitur/qualium quatuor recti ſũt.360.angulus ue/ro.G.A.T.82.2.28. earũdẽ/& angulus.F.A.G.ipſius regreſſus penes uelocitatem ſtel læ reliquorum.9.57.32.angulus autem. F. A. I. apparentis inæqualitatis graduum 54.21.38.quibus tñ ſm expoſitas(ipſius per longitudinem motus)proportiones gra dus congruãt.5.1.24.¶ Sit regreſſus medietas graduum.4.56.8.& dierum.60.30. proxime.Totus uero regreſſus graduum.9.52.16.& dierum.121. Longitudo autem quæ eſt in quinq; graduum diſtantia a maxima & minima longitudine(Indifferen ti quodam)minor eſt q̃ maxima & maior q̃ minima longitudine.Secundum uero computationes quæ in maxima longitudine fiunt/additio quidem atq; ſubtractio æquationis.5.10.ſexageſimarum inuenitur.¶ Et iccirco lineæ quoq;. T.F.ad.G.F. lineam proportio eſt.0.54.50.ad.10.56.39.rectangulũ uero quod ſub ipſi cõtinetur eſt.139.46.42.& rurſum proportio.G.A.lineæ ad.A. D. lineam eſt.62.45.ad. 11.30. Proportio autem.D.G.ad.G.I.eſt.74.15.ad.51.15. & rectangulum quod ſub ipſis continetur.3805.18.45.Radix uero numeri.27.13.26.qui ex partitione fit/quæ eſt.5. 13.4.multiplicata in expoſitam.T.F.&.F.G.linearum proportionem: lineam qui/dem.F.T.facit ad expoſita.G.A.&.A.F.linearum magnitudines.4.46.6.lineam ue ro.G.F.57.6.19.earũdem.G.T.autem.61.52.25.Iccirco etiam ad proportionem.120. utriuſq; linearum.A.F.&.A.G.quæ rectum angulum ſubtendunt. F. T. quidem li/nea eſt.49.45.23.G.T.autem.118.19.27.& arcus ſui.F.T. quidem graduum.48.59. 34.G.T.uero.160.39.36.ad has lineas conſequenter angulus quoq;. F.A.T.talium eſt.24.29.47.qualium quatuor recti ſunt.360. angulus uero.G.A. T.80.24.48. ea/rũdem/ & reliquorum.F.G.A.quidem angulus ipſius regreſſus penes ſtellæ ueloci/tatem graduum eſt. 9.35.12.F.A.I.uero.angulus apparentis inæqualitatis.55.55.1.q/bus cum ſecundum proportiones maximæ diſtantiæ. 4. 40.35. æquatæ longitudi/nis gradus congruant:& periodicæ.5.6.35. colligitur regreſſus medietas graduum 4.50.37.& dierum.61.30.proxime.Totus autem regreſſus graduũ.9.41.14.& die/rum.123.¶ Secuudum uero computationes quæ in minima diſtantia fiunt/additio æquationis/atq; ſubtractio.5.40.ſexageſimarum inuenitur. Iccirco etiam propor/tio lineæ.T. F. ad lineam. F.G. eſt.1.5.40.ad.10. 45.49.& proportio. E.G.ad.G.F. 12.57.9.ad.10.45.49.rectangulum uero ſub ipſis contentum.139.24.56.

¶ Rurſus proportio lineæ. G. A. ad. A. I. lineam eſt.57.15.ad.11.30.& proportio. D.G.ad.G.I.68.45.ad. 45. 45. Rectangulũ ſub ipſis contentum.3145.18.45.Nu/meri uero ex proportione facti.22.33.39.Radix.4.45.0. multiplicata in propoſitã proportionem. T.F.&.F.G.linearum facit ad expoſitas. G.A.&.A.F.linea/rum magnitudines / lineam quidem. T. F. partium.5.11.55. Lineam autem

¶ G.A.ad.A.I.ẽ ꝓportio.60.ad.11.32.30.



D H
61 12

F.G.51.7.38.earundē: & totam.G.T.56.19.33.iccirco ad rationem etiam.120.utriusq; linearū.F.A.&.A.G.quæ rectum subtendunt.F.T.quidem est.54.14.47. G.T. uero.118.3.46.Arcuū uero in ipsis ille quidē qui est in linea.F.T.partium est.53.45.4.Qui uero est.In linea.G.T.partium est.159.12.40.Ad hos arcus consequenter. F. A.T.quoq; angulus taliū est.26.52.32.qualium quatuor recti sunt.360.Angulus uero.G.A.T.79.41.20.& reliquorū.F.G.A.quidē angulus ipsius regressus propter uelocitatem stellæ graduum est.10.18.40.F.A. I.autem angulus apparentis inæqualitatis.52.48.48.quibus cum secundum proportiones minimæ distantiæ æquatæ q dem longitudinis.5.21.20.gradus congruant: periodicæ autem.4.54.20. Medietas uero regressus graduum:colligitur.4.57.20.& dierum.59.uel circiter.Totus autem regressus graduum.9.54.40.& dierum.118.

¶Regressuum Martis Demonstratio. ♂ Ca.IIII.

¶De ♂ regressibus



Proportio uero. T.G.ad.G.F.2.42.51.ad.1.3.11.& rectangulū sub ipsis contentū.2.51.8. ¶Et rursum proportio lineæ. A.G. ad. A.I.D. lineā ē.65.40.ad.39.30.iqt lēa græca

IM STELLA uero Martis secundū mediæ longitudinis cōputationes proportio quidem.F.T.lineæ ad.F.G.ea colligitur:quæ est unius ad 0.52.51.proportio uero.E.G.linea ad.G.F.2.52.51.ad.0.52.51.& rectangulum sub ipsis contentum.2.32.15. ¶ Et rursum. G.A. lineæ ad lineam A.D.proportio est.60.ad.39.30.proportio uero.D.G.lineæ ad.G.I.99.30.ad.20.30.& rectangulum sub ipsis contentum.2039.45.facti autem ex partitione numeri.803.50.50.Radix.28.21.8.multiplicata ad præpositam.T.F.&.F.G.linearum proportionem facit ad expositas.G.A.&.A.F.linearum magnitudines lineam quidem T.F.28.21.8.lineam uero.G.F.24.58.25. earundem & totam. G.T.53.19.33. Iccirco etiam ad rationem.120.utriusq;.A.F.&.A.G.linearum quæ rectum angulum subtendunt.F.T.quidem linea colligitur.86.8.0.G.T.autem.106.39.6.& suorum arcuum.F.T.quidem graduum.91.44.34.G.T.autem.125.26.10.ad quos consequenter angulus quidem. F. A.T.talium est.45.52.17.qualium quatuor recti sunt.360. G.A.T.uero angulus.62.43.5.earundem:& reliquorum. F. G. A. quidem angulus ipsius regressus qui est propter stellæ uelocitatem graduum.27.16.55. F.A.I. autem inæqualitatis angulus.16.50.48.quibus cum secundum expositam motus longitudinis proportionem:gradus congruant.19.7.33.fit regressus medietas graduum 8.9.22.& dierum.36.30.proxime: Totus uero regressus graduum.16.18.44.& dierum.73.longitudo autem quæ est in hac distantia maximæ minimæ ue longitudinis a stationibus. 20. sexagesimis minor est q̄ maxima & maior q̄ minima: ¶Secūdū uero computationes quæ in maxima distantia fiunt additio æquationis arq; subtractio quæ uni congruit gradui.10.20.sexagesimarum inuenitur. Iccirco etiam proportio lineæ.T.F.ad lineam.F.G.est.0.49.40.ad.1.3.11.Proportio uero.E.G.ad.G.F.2.42.31.ad.1.3.11.& rectangulum sub ipsis contentum.2.51. 8. ¶Et rursum proportio lineæ.G.A.ad.A.I.lineam est.65.40.ad.39.30.&.D.G.ad. G.I. 105.10.ad.26.10.& rectangulum sub ipsis contentum.2751.51.40.& numeri.964 48.47.expartitiōe facti: Radix.31.3.41.multiplicata ad præpositam.T.F.&.F.G. linearum proportionem facit ad expositas.G.A.&.A.F.linearum magnitudines: lineam quidem.T.F.partium.25.42.43.lineam uero.F.G.32.42.34.earundem:& totam.G.T.58.25.17.Iccirco etiam ad rationem. 120. utriusq;. A. F.&. A.G.linearum quæ rectum angulum subtendunt .F.T.quidem linea est.78.6.44.G.T. uero 106.45.36.similiter arcuum autem suorum.F.T.quidem graduum est.81. 13.28. G.T.autem.125.39.46.ad quos arcus cōsequenter angulus etiam.F.A.T. taliū erit 40.36.34. qualium quatuor recti sunt.360. angulus uero. G. A. T. 62.49.53. earundem:& reliquorum angulus quidem.F.G.A.ipsius regressus qui est propter uelocitatē stellæ graduum est.27.17.angulus autem.F.A. I. inæqualitatis apparentis 22.13.19.quibus cū secūdū ꝓportiones maximæ longitudinis.17.13.21.æquatæ lōgitudinis gradus congruant: & periodicæ.20.58.21. colligitur regressus medietas graduum.9.56.46.& dierum.40.proxime.Totus uero regressus graduum.19.53.32.& dierū.80. ¶Secūdū autē cōputationes quæ in minima lōgitudine fiūt additio atq;

ſubtractio æquationis.0.12.40.ſexageſimarum inuenitur. Iccirco etiam proportio T.F.lineæ ad.F.G.eſt.1.12.40.ad.0.40.11.proportio autem.E.G.ad.G.F.eſt.3.5.31. ad.0.40.11.& rectangulum quod ſub ipſis continetur eſt.2.4.14. Rurſus proportio G.A.ad.A.D.eſt.54.20.ad.39.30.& proportio.D.G.ad.G.I.93.50.ad.14.50.& rectangulum ſub ipſis contentum.1391.51.40.radix autem numeri.672.13.ex partitione facti quæ eſt.25.55.38.multiplicata in proportionem expoſitam.T.F.&.F.G. linearum facit lineam quidem.T.F.ad exppſitas.G.A.&.A.F.linearum magnitudines.31.24.3.lineam uero.G.F.17.21.51.earundem.Totam uero.G.T.48.45.54.iccirco ad rationem etiam.120.utriuſq; linearum.A.F.&.A.G.quæ rectum angulum ſubtendunt.F.T.quidem eſt.95.23.42.G.T.uero.107.41.7.arcuum autem ſuorum F.T.quidem:graduum eſt.105.108.10.G.T.uero.117.40.22.ad hos arcus conſequẽter angulus quoq;.F.A.T.talium eſt.52.39.5.qualium quatuor recti ſunt.360.angulus uero.G.A.T.63.50.11.earundem:& reliquorum.F.G.A.quidem angulus ipſius regreſſus propter ſtellæ uelocitatem graduum eſt.26.9.49.F.A.I.autem angulus apparentis inæqualitatis graduum.11.11.6.quibus cum ſecundum proportiones minimæ longitudinis.20.33.42.gradus æquatæ longitudinis congruant:& ꝑiodicæ.16. 52.52.colligitur medietas ipſius regreſſus graduum.5.36.7.& dierum.32.15.proxime Totus uero regreſſus graduum.11.12.14.& dierum.64.30.

☽	H
32	6
64	12

De ♀ Retropedationibus — ℂ Regreſſuum Veneris demonſtratio. ♀ CA.V.



Rurſus proportio.G.A.ad A.I.eſt.61.10.ad.43.10.

IN STELLA autem Veneris/ſecũdũ mediæ quidẽ longitudinis cõputationes/proportio lineæ.T.F.ad.F.G.lineam colligitur ea quæ eſt unius ad.0.37.31.& proportio.E.G.ad.G.F.2.37.31.ad.0.37.31.& rectãgulũ ſub ipſis cõtentũ.1.38.30.& rurſum proportio lineæ.G.A.ad lineã A.D.eſt.60.ad.43.10.& proportio.D.G.ad.G.I.103.10.ad.16.50.& rectangulũ ſub ipſis cõtentũ.1736.38.20.Numeri aũt.1057.56.ex partitiõe facti/radix.32.31.29.multiplicata in expoſitã rationẽ.T.F.&.F.G.linearũ facit lineã quidẽ.T.F.ad expoſitas G.A.&.A.F.linearũ magnitudines.32.31.29.lineã uero.G.F.20.20.11.& totam.G.T. 52.51.40.iccirco ad rationem etiã.120.utriuſq; linearũ .A.F.&.A.G.quæ rectũ angulũ ſubtendunt linea quidẽ.F.T.90.24.58.partiũ eſt.G.T.uero.105.43.20.arcuũ aũt T.F.quidẽ graduũ eſt.97.47.G.T.uero.123.31.49.ad hos arcus conſequenter.F.A. T.quoq; angulus taliũ ẽ.48.53.30.qualiũ quatuor recti ſunt.360.angulus uero.G. A.T.61.45.54.proxime earundẽ:& reliquoꝝ angulus quidẽ.F.G.A.ipſius regreſſus q eſt ꝑ ſtellæ uelocitatẽ graduũ ẽ.28.14.6.Angulus uero.F.A.I.inæqualitatis.12.52. 24.quibus cũ/ſm expoſitã mediam motꝰl longitudinis proportionẽ/gradus ꝯgruãt 20.35.19.medietas regreſſus colligitur graduũ.7.38.47.& dierũ.20.50.proxime: totus autẽ regreſſus graduũ.15.17.34.& dierũ.41.40.longitudo aũt quæ eſt in hac diſtantia maximæ minimæ ue longitudinis a ſtationibus.5.ſexageſimis proxime minor eſt/quã maxima:& maior q̃ minima:ſecundũ uero cõputationes quæ in maxima longitudine fiunt additio ſubtractioue/æquationis.2.20.ſexageſimarum inuenitur: Iccirco etiam proportio lineæ.T.F.ad lineam.F.G.eſt.0.57.40.ad.0.39. 51.& proportio.E.G.ad.G.F.2.35.11.ad.0.39.51.rectangulum uero ſub ipſis contentũ 1.43.4. ℂ Rurſus ꝑportio.G.A.ad.A.D.eſt.61.10.ad.43.10.&.D.G.ad.G.I.104. 20.ad.18.0.& quadrangulũ ſub ipſis contentũ.1878.facti autem ex partitione numeri.109⁻.16.23.radix.33.3.53.multiplicata in proportione.T.F.ad.F.G.linearum expoſitam facit.T.F.quidem linea ad magnitudines dictas.G.A.&.A.F.linearum partium.31.46.44.lineam uero.G.F.21.57.38.earundem:& totam.G.T.53. 44.22.& iccirco ad proportionem etiam.120.utriuſq; linearum.A.F.&.A.G.quæ rectũ angulum ſubtendunt.F.T.quidem linea eſt.88.20.34.G.T.autem.105.25.44.& arcuum ſuorum.F.T.quidem graduum eſt.94.48.54.arcus uero.G.T.122.56.27. his uero ſubſequitur ut ſit angulus.F.A.T.talium.47.24.27.qualium quatuor recti ſunt.360.angulus uero.G.A.T.61.28.14.earundem:& reliquorum.F.G.A.quidem angulus regreſſus propter uelocitatem ſtellæ graduum eſt.28.31.46.angulum autẽ F.A.I.apparentis inæqualitatis.14.3.47.quibus cum ſm ꝑportiones maximæ lõgi

tudinis congruant/æquatæ quidem longitudinis gradus.20.19.3.periodicæ uero.21.9.3.Medietas quidem regressus colligitur graduũ.8.12.43.& dierũ.21.30.proxime. Totus uero regressus graduum.16.25.26.& dierum.43.secundum autem computationes quæ fiunt in minima longitudine additio æquationis subtractioue sexagesimarum.2.20.inuenitur:propterea & proportio quidem.F.T.ad.F.G.est.1.2.20.ad 0.35.11.proportio autem.E.G.ad.G.F.2.39.51.ad.0.35.11.& rectangulum sub ipsis contentum.1.33.44.& rursus proportio.G.A.ad.A.D.est.58.50.ad.43.10.&.D.G.ad.G.I.102.0.ad.15.40.Rectangulum sub ipsis contentum.1598.0.Numeri uero ex partitione facti.1022.54.7.radix.31.58.58.multiplicata in proportione linearum T.F.&.F.G.facit lineam.T.F.ad suppositas.G.A.&.A.F.magnitudines.33.13.36. lineam uero.G.F.18.45.16.earundem totam.G.T.51.58.52.iccirco etiam ad proportionem.120.utriusq;.A.F.etiam.A.G.linearum quæ rectum angulum subtendunt F.T.quidem linea erit.92.22.3.G.T.autem.106.1.23.De arcubus uero.F.T.quidem lineæ arcus graduum est.100.39.34.G.T.autem.124.8.22.& consequenter.F.A.T. angulus talium.50.19.47.qualium quatuor recti sunt.360.& angulus.G.A.T.62.4.11.earundem:& reliquorum.F.G.A.quidem angulus regressus propter uelocitatem stellæ graduum erit.27.55.49.F.A.I.autem apparentis inæqualitatis angulus 11.44.24.quibus cum secundum proportiones minimæ distantiæ æquatæ quidem longitudinis gradus congruant.20.53.30.periodicæ uero.20.& sexagesimæ.4.30. medietas regressus graduum consequenter colligitur.7.2.19.& dierũ.20.20.proxime totus autem regressus g̃duum.14.4.38.& dierum.40.40.

D	H
21	12

Dierum	Horarum
20	8
40	16

☾Regressuum Mercurii demonstratio. ☿ Cap.VI.

De ☿ repedationibus



D	H
11	6
22	12

